



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt XIII. Non postulare Christianæ libertatis rationem, vt ab ijs quæ nos miseros faciunt, hîc liberi simus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

874 DE CHRISTIANA LIBERTATE
xui temporalis cursu completo, ad æternæ vel mortis,
vel immortalitatis hospitia diuidamur. Hactenus di-
uus Cyprianus.

CAPVT XIII.

*Non postulare Christiana libertatis rationem, vt ab ijs
que nos miseros faciunt, hic liberi simus.*

NE QVÆ enim hoc postulat Christianæ libertatis
ratio; vt in hoc seculo vitam agamus miseriæ, &
malorum omnium expertem. Nam cùm sit ab asser-
tore generis nostri Christo omnis expectanda liber-
tas, atque ea mortis eius, afflictionisq. meritis accepta
ferenda: non est hæc de illo concipienda persuasio,
quòd mortem subierit, vt nos hic efficeret plena ma-
lorum omnium reiectione beatos. Tota namque me-
diatoris nostri dispensatio & functio, ad futurum se-
culum spectabat. Quamobrè dicit eum beatus Apo-
stolus consummatum morte, factum esse omnibus
obtemperantibus sibi causam salutis non temporarię,
sed æternæ. quin & eundem vocat Pontificem futu-
rorum bonorum, qui videlicet sui Pontificatus munere,
& sacerdotali functione, bona nobis futura procu-
ret, non ea quæ ad figuram pertinent mundi huius,
quam dicit idem Apostolus præterire, ac fluxam & fu-
gacem esse. Idcirco Christus (inquit) assistens Põtifex
futurorum bonorum, per amplius & perfectius taber-
naculum non manu factum, id est, non huius creatio-
nis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum,
sed per proprium sanguinẽ introiuit semel in sancta,
æterna redemptione inuenta. Hic quoque non tem-
poraneam, qualis eorum est qui è carceribus oblatio-
pretio eruuntur, sed æternam redemptionem commem-
orat: qua pretio sanguinis eius, æternæ mortis è fau-
cibus erepti, malisq. ac vinculis futuri seculi sempi-
ternis

Heb. 5.

Heb. 9.

ternis liberati sumus. Itaque & apud Isaiam, Pater ap- *Isaia 9.*
pellatur futuri seculi: qui suis à filijs & mala seculi vé-
turi depellat, & æterna illa solidaque ijs bona compa-
ret, auctorque sit nunquam finiendæ felicitatis. Ipse
enim est, qui æternitatis nobis aditum, deuicta morte
relerauit. quocirca nec per ea quæ suæ familiæ sacra-
menta reliquit, aut huius vitæ malorum depulsionem,
aut præsentium bonorum accessionem propriè ex-
spectamus, sed ea bona quæ in futurum profint, quo-
rumque fructum in seculo altero decerpamus. Sicut
enim diuus Augustinus generatim pronunciat, ac su- *Enchirid. 66.*
prà quoque memorauimus: totum id quod salutari-
bus agitur sacramentis, magis ad spem futurorum bo-
norum, quàm ad retentionem vel adeptionem præ-
sentium pertinet. hinc scelerati multi, & à beneficio
crucis alieni, bonis vitæ huius affluunt, scelerumque
suorum nulla hîc quidem vindicta percelluntur, sed
eorum pœnæ reseruantur in posterum. Contrà verò
vindicanur hîc aliqua, quæ tamen, si per Sacramenta
salutaria remittuntur, profectò in futuro seculo non
nocebunt. Eo fit igitur, vt non quemadmodum inte-
riore animi libertate studio virtutis sensim profici-
mus, ita pariter carnis libertate magis magisque arum-
nosa vitæ molestijs exuamur; sed contrà potiùs, dum
crescit illa ex parte libertas, ex hac seruitus grauior ef-
ficitur. Quemadmodum & Apostolus significat, cùm *2. Cor. 4.*
ait: Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, si *Aug. epistola*
ue castigatione abstinentiæ, siue morbida aliqua vale- *112. ad Pau-*
tudine, siue quolibet casu, vel certè, quod necesse est *linum.*
etiam ijs qui sano corpore diu viuunt, ipso ætatis ac-
cessu; tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.

CAPVT